

SEULFUS

RHEMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Flodoardum, Historia Ecclesiæ Rhemensis, lib. iv, cap. 18).

Herivæo successit Seulfus, qui tunc Rhemensis urbis ministerio fungebatur archidiaconatus: vir tam ecclesiasticis quam sæcularibus disciplinis sufficienter instructus, quique apud Remigium Antissiodorensis magistrum in liberalibus studiis dederat artibus. Quo per consensum et jussionem Roberti regis ab Abbate Suessionico cæterisque Rhemensis provinciæ præsulibus ordinato episcopo, delati sunt Odo frater quondam Herivæi archiepiscopi, et Heriveus nepos ipsius apud eundem præsulem, quod fidelitatem quam ei promiserant minime servarent. Qua de re quia noluerunt ad reddendam venire rationem coram eodem pontifice, vel singulari certamine cum accusatoribus decernere, sublatis sibi Ecclesiæ possessionibus, quas plures ex hoc retinebant episcopo, per Heribertum comitem deducti sunt ad Robertum regem, et sub custodia usque ad mortem regis Roberti, Odo quidem penes eundem Heribertum, Heriveus vero Parisiis detenti sunt. Fertur autem tunc ab hoc archiepiscopo, et a consiliariis suis, Heriberto comiti depactum, de electione filii sui in hac sede pro prædictorum virorum expulsionem. Hic denique præsul legatos hujus Ecclesiæ Romam dirigens pro consensu papæ

A Joannis in ordinatione sua, pallium ab eodem sibi missum cum litteris privilegii hujus sedis suscepit.

Hic etiam synodum habuit in villa Trosleio cum episcopis Rhemensis dioceseos, ubi adfuere nonnulli quoque comites: in qua et Isaac comes ad satisfactionem venit pro his quæ prave perpetraverat adversus Ecclesiam Cameracensem, quoddam castellum Stephani præsulis ejusdem urbis dolosa comprehensum pervasione succendens. Pro quo facinore vadatus in hac synodo, centum libras argenti pacatur cum præfato episcopo, salagente Heriberto et aliis qui aderant Franciæ comitibus. Hic præsul monasterium sancti Remigii cum adjacentibus ecclesiis vel domibus muro cingens, castellum ibidem instituit, domum episcopalem cameris reparans, picturis excoluit. Fecit et calicem aureum majorem cum gemmis in honore Dei genitricis pondo decem librarum. Sed et alla quædam ecclesiæ præparavit ornamenta. Ciborium quoque super altare sanctæ Mariæ argento aggressus est operire: quod opus, morte præventus explere nequivit. Fertur autem veneno potatus a domesticis vel familiaribus Heriberti comitis vitam finivisse.

CONCILIIUM RHEMENSE.

PRÆSIDE SEULFO.

In quo pœnitentia indicta est eis qui bello Suessionico inter Robertum et Carolum reges interfuerunt anno 923 [al. 924].

(Apud Labbeum, Conciliorum, tom. IX, col. 381).

Anno Dominicæ incarnationis 923, episcopatus autem domini Seulfi secundo convenientes sancti Patres, Seulfus scilicet Rhemorum archiepiscopus, Abbo Suessionicæ urbis episcopus, Adelemus Laudunensis, Stephanus Cameracensis, item Adelemus Silvanectensis, Airardus tunc inibi ordinatus Noviomagensis, cum cæterorum ejusdem Rhemensis dioceseos episcoporum legatis, decreverunt hanc pœnitentiam his qui bello Suessionis inter Robertum ac Carolum acto interfuerant injungendam: videlicet, ut tribus quadragesimis per tres annos

C agant pœnitentiam, ita ut prima quadragesima sint extra ecclesiam, et Cœna Domini reconciliantur. Omnibus vero his tribus quadragesimis, secunda, quarta et sexta feria, in pane, sale et aqua abstineant, aut redimant. Similiter quindecim diebus ante nativitatem sancti Joannis Baptistæ, et quindecim diebus ante nativitatem Domini Salvatoris, omni quoque sexta feria per totum annum, nisi redemerint, aut festivitas celebris ipsa die acciderit, vel eum infirmitate sive militia detentum esse contigerit.